

Admodum R/de Pater, Gaudeo quod liber R.V. probatus sit ab optimis Principibus Bavaricis: mihi autem non solum non displicuit, sed valde placuit. Cuperem primo quoque tempore videre librum Spalatensis, quo ipse se ipsum confutat. neque est, quod R.V. illum hùc mittat, antequam typis mandetur: Ego suscipio in me culpam, si quae esse possit. Oportet enim obstruere ora inimicorum, qui gloriantur, ut R.V. scribit, de adepta victoria propter silentium Catholicorum. Itaque R.V. quam primum poterit curet librum illum edendum: erit enim omnibus gratissimus. Fertur hic Rex magnae Britanniae graviter aegrotare: neque spem esse, ut ad fidem catholicam convertatur. Ignoscat Deus, si capax est indulgentiae, ei qui Regem infantulum à sinu piissimae matris abstraxit et haereticis educandum tradidit. Sed haec sunt iudicia Dei inscrutabilia. Opto R.V. bene valere, et mei meminisse in sanctis precibus suis. Romae die 14. Junii 1619.

R.V.

frater, et servus in Christo

Robertus Card. Bellarminus.

P. Josephus Creswellus Societatis Jesu. Bruxellas.

Admodum R/do Patri, P. Josepho Cresvello sacerdoti Societatis Jesu
Bruxellam (cachet)

Rome, Chiesa del Gesù. autogr.